



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

3. Dies Novemb. Sunt quædam quæ nescite quām scire sit utilius, S.
August. Enchir. ad Lau. c. 17.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](#)

Novemb.

Tessera.

875

miserabiles animæ , è suo illo fumoso vaporario , è suo igneo æstuario , ut inde extrahantur , manum attollunt : tibi arbitrarium est illas inde manu mittere : hoc posse & nolle quæ inhumanitas ! immo quanta crudelitas ? ô igitur si quid apud te valet pietas , quæ parentibus debita est ; si quid observantia , quæ majoribus ; si quid justitia quæ foederatis ; si quid promissio , quæ testatoribus ; si quid gratus animus ; qui beneficis ; si quid amicitia , quæ benevolis , miseremini purgantium animarum : consequeris & tu miser misericordiam si fueris misericors , tu pro illis hic plorando imminues illorum planctus , quapropter :

Huc pro animis plora , cito cernant , ut patris ora .

3. DIES NOVEMB.

Sunt quædam quæ nescire quam scire sit utilius , S.

August. Enchir. ad Laur. c. 17.

Scientia I.
Sanctorū.
qualia do-
ceat.

UNum est quod Deo impensè displicet , quo ut illi inscrivas serio , incipias tam fero . Quamdiu libet deliberare ; an velis teè servitute dæmonis liberare ? quo usque cogitas , an velis facere quod expedit magis tandem concludere , aut libet proponere , quod necessum omnino est jam nunc aliquando expedire : terminanda consilia , instat hora , ingredienda via , maturanda proposita , ne nox subito prævertat , importuna mors evertat , nec metuentes immatura . Ut quod diu fuerat faciendum , tandem facias , excitabit te Dei Gloria cui se ständæ conditus es , imperabit tibi Dei voluntas cui obtemperandæ obligatus es ; invi-

876 *Christiani Militis* Novem
invitabit te Dei beneficentia cui vitam universam
debes; suadet facilis, quām parit gratia suble-
dium; allicet utilitas, quām tota pollicetur aeternas;
impetrabit à te felicitas, ad quam votis omnibus
anhelas; denique coget ipsa necessitas, quia si len-
tandem nos totos Deo tradamus, etiam in hac vita
nil expectandum nisi extrema calamitas. Quan-
enim nocuit nobis obtemperasse indomitis nolis-
affectionibus? in quantas nos illi præcipitarunt ar-
nas? quanta adduxit tœdia? quām molestas solici-
dines? quām gravem animi perturbationem?

II. Itaque utilius nihil magisque necessarium,
quām excutere tandem gladium è manibus nostris
quo nos ipsi jugulamus, quām ut venenum effun-
dimus, quo nosmetipso inficiimus, quām ut sepel-
imus omnium malorum incommodorumque in-
strumenta. Opportunè prorsus ad rem qua de-
mus, Abbas Abraham, rogatus ab Abbe Pimenio
quemadmodum nos dæmones impugnant: respon-
dit: *dæmones nobiscum non pugnant quia voluntatis eorum facimus: sed nostra nobis voluntates dæmoni facti sunt & tribulant nos: voluntas propria, per illius est dæmon qui nos oppugnat, acutissimus gladii guttus nobis præcidens venenum est, cum prius noxiū, cor ipsum penetrans, mors est fallacissima nos interimens.* Itaque si sapis, ut agas ageada, hoc est, rectè & prudenter, non audies propriæ voluntatis imperium, perniciosum est: non secessaberis naturæ genium, pravus est: non consules mundi inde-
lem, maligna est; non credes diaboli suggestioni, mendax est: sed ne sine fine pereas, in omnibus a-
nem respice, divinum imperium suscipe, Christi empla-

Novemb.

Tessera.

877

empla inspice; non differes dum opportunum est, non negliges dum inchoatum est, non sistes quoad expeditum est, ut quid te facere non modo deceat, sed oporteat, scias, opus est illa Sanctorum Scientia, quae est necessaria singulis, apta omnibus, salutaris universis. Sine illa Scientia Sanctorum, numquam intrabit in sancta Sanctorum: alia omnia satius est ignorare quam scire, utilissima est Scientia, cuius beneficio potes pollere sanctimoniam.

III. Docet illa, si vita stadium est, sic currere, ut comprehendendas: si schola est sic discere, ut sapias; si militia est, sic cerrare ut vincas; si mercatus est, sic negotiari, ut questum facias: si theatrum est, sic personam agere ut plausum referas; si peregrinatio est, sic ambulare ut metam attingas; si exilium est, sic il lud sustinere, ut patriam obtineas: si slementis est, sic serere in terris, ut metas in cælis: si diversorium est, sic versari ut hospitem te cogites; si vinea est, sic operari ut mercedem reportes. Ecce quam docet multa Scientia hæc una, vis verbo omnia? Scientia Sanctorum, virtus est, eò usque patet quò usque vita porrigitur: cuius omne negotium, est virtutis exercitium, quidquid aut intellectu concipis, aut memoria tenes, aut voluntate appetis, aut concupiscentia desideras, aut sensu percipis, aut ore loqueris, aut manu peragis, ne inter omnia quæ agis, actum agas, atque ita in fine doleas te nihil egisse, dum animam ages, sit tibi unica omnium agendorum norma, Dei voluntas. Praxis illius initium, est primum rationis dilucidum: quo si non auspicaris, vitæ primitiis frustratis. Progressus est universus ætatis cursus, qui si alio dirigitur: vita usura prodigatur: terminus est supre-

mus

878 Christiani Militis Novemb
mus vitæ exitus , qui si praxi illa non concludit
spes vitæ illuditur , votum salutis fallitur, hæc
non tantum est salutare , sed pro salute necessaria
denique hæc omnia:

Qui scit laudatur , qui nescit viuperatur.

4. DIES NOVEMB.

Sic nos agere debemus , ut non tanquam proper
corpus vivere debeamus , sed tanquam non pos
simus sine corpore. *Seneca epist. 15.*

Mortifi-
catio.

PRIMA scientia Sanctorum ru
menta , fateor sunt corpori pe
quam rudia , sed spiritui utilia
prima enim in ejus schola letio
est carnis mortificatio , non terreas verbi asper
te , frange corticem qui amarus , ut gustes nucleus
qui suavis est , ne attendas verbum , sed expende vi
bi sensum. Hæc quam times carnis mortificatio , et
quam optas cordis vivificatio : sic moriendo fugi
mortem , acquiris vitam : quid ? an ergo tyranus
Deus qui nostris se oblectet doloribus , qui sibi pla
ceat in nostris cruciatibus : qui pascatur nostra in
ediâ , qui reficiatur nostra siti , qui ditetur nostra
state , qui exultet nostris gemitibus , cui dulces fit
mulos , jucundum filios suos dilectos & sic dilecta
toto corpore , ciliorum asperitate vestitos , flago
rum diritate laceros , sanguine nostro cruentos , om
ni denique solatio destitutos , mærore oppreslos in
tueri ? quasi non posset nos , nisi sic afflictos rapi
profecto , necesse est mortificatio sit bonum in
comparabile , & illius boni emolumentum sit in
estimabile , cum ille bonus , & misericors Deus ,

cum